

inspectionem, interim præsupposita dictarum Artium notitiâ (non exercitio nisi delectationis gratiâ & in casu necessitatis) Hortulanos, Laboratores (vulgò laborantes.) Chirurcos, Apothecarios, &c. dirigit, ipsisq; quid faciendum sit præscribit: quatenus verò Philosophiam excludit, nuda Medica est, & plerumque *Circumforaneos* & *Empiricos*, abusive sic dictos, constituit. Licet autem Ars medica potissimum hominis respiciat sanitatem, reliquorum tamen animalium curam non omnimodè respuit, esto quod vilioris plerumque conditionis homines eam exercere soleant, ut apud nos Fabri ferrarii equos curant. Sicut autem Artem Architectonicam tantum non omnes, qui structurâ quadam agent, etiam imperiti sæpius exercere præsumunt; ita Artem medicam nemo ferè est, qui non profiteatur, quod simulatâ odontalgia quondam celebratissimo ille Morio etiam ipso contradicentis exemplo satis superque comprobavit.

Potissimum ad Hominis Sanitatem.

Artes frequentissima.

§. 9. Dantur etiam Artes ex utroque genere mixtæ, qualis est *Pistoria*, *Molendinaria*, *Coriaria* &c. quas omnes Philosophia naturalis tanquam fructus & effectus absolutâ scientiâ sibi vendicat signatè saltem, & quousque expedit, tradendas. Atque sic Philosophiam naturalem expeditimus.

Artes utroque genere Mixtæ.

CAPUT VII

De Philosophia Morali.

§. I.

Restat Homo quatenus sui quasi juris est, & rebus naturalibus contradistinguitur. Dux autem cum primis sunt *Facultates Mentis*, humanæ substantiæ præcipuæ partis, quibus creaturas materiales antecellit Homo, & juxta quas sui juris est, peculiaris boni, quod Summum merito dicendum, capax, *Intellectus* nimirum & *Voluntas*, quarum illa Divinam majestatem ex operibus suis devotâ contemplatione admiratur; hæc sanctitatis & justitiæ Divinæ decreta tum intentione pientissimâ veneratur, tum in vita civili, quoties occasio fert, & quousque fieri potest, sincero corde exsequitur.

Homo Mentis Compos,

Intellectus,

Voluntas,